MISSALE ROMANUM

Diözese Brixen (möglicherweise in einem Dominikanerkloster), Wende 12./13. Jh. Seite 190r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

super nequitia populi tui. Recordare abraham. ysaac. et is-
rahel servorum tuorum quibus iurasti per temetipsum dicens.
Multiplicabo semen vestrum sicut stellas celi. et universam terram
de qua locutus sum. dabo semini vestro. et possidebitis eam
semper. Placatusque est dominus. ne faceret malum quod locutus fu-
erat adversus populum suum. et misertus est populo suo dominus deus noster.
In illo tempore. Iam die festo mediante. ascendit Secundum Iohannem
ihesus in templum et docebat. Et mirabantur iudei dicentes.
Quomodo hic litteras scit. cum non didicerit. Respondit ihesus eis.
et dixit. Mea doctrina non est mea. sed eius qui misit me. Si
quis voluerit voluntatem eius facere. cognoscet de doctrina.
utrum ex deo sit. an ego a me ipso loquor. Qui a semet
ipso loquitur. gloriam propriam querit. Qui autem querit gloriam eius
qui misit illum. hic verax est et iniustitia in illo non est.
Nonne moyses dedit vobis legem. et nemo ex vobis
facit legem. Quid me queritis interficere. Respondit
turba et dixit. Demonium habes. Quis te querit interfi-
cere. Respondit ihesus. et dixit eis. Unum opus feci et omnes mi-
ramini. Propterea moyses dedit vobis circumcisionem. non quia
ex moyse est. sed ex patribus. et in sabbato circumciditis homi-
nem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato. ut non solvatur
lex moysi. michi indignamini. quia totum hominem sanum fe-
ci in sabbato. Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium
iudicate. Dicebant ergo quidam iudei ex ierosolimis. Nonne hic est
quem querunt interficere. Ecce palam loquitur. et nichil ei dicunt.
Numquid vere cognoverunt principes. quia hic est christus. Sed
hunc scimus unde sit. christus autem cum venerit. nemo scit
unde sit. Clamabat ergo docens in templo ihesus et dicens.

quidam (marginal note)